

FRIDERICVS COLONIENSIS ARCHIEPISCOPVS.



Fridericus ex illustri familia comitum à Vuida natus, & in omnibus uirtutibus honestè educatus est. Is à pueris optimis preceptoribus commissus, literas feliciter didicit, atq; magnū rerum usum sibi comparauit. Aderat & uitæ innocentia, & prudentia rara. Postea se Coloniā contulit, & inter eius Ecclesię Canonicos receptus fuit. Ibi cum modestè uiueret, & alijs suis uirtutibus exemplo esset, factum ut omnibus gratissimus extiterit. Itaq; postea cum præsul Coloniensis fato fungeretur, ipse omnium calculo in eius locum Archiepiscopus & Elector declaratus fuit. Eam rerum administracionem nactus, Fridericus res suæ ditionis optimè disposuit, & se talem exhibuit, ut ab ipsis subditis plurimū diligeretur. Cum alijs quoq; Imperij Electoribus 1562 Maximilianum Cæsarem designauit, atq; ob rerum usum & pacis amorem Germaniæ proceribus facile innotuit. In ea uitæ eminentia Fridericus etiamnum perseuerat, & suis uirtutibus patriam exornat. Anon.